



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales

In Quibus Vnivers[a]e Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

11. Quibus modis possint patres aliquid spuriis relinquere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

modi facta, & conuenta valere iure communi, nisi specialiter prohibeantur.

Mihi vero probabilius videtur, ea minime communi iure subsistere, & filios spurios restituere legitimis hæredibus ea bona debere. Nam quod filius eo modo accipit, videtur à patre suo accipere tanquam pretium, vel in locum bonorum, quæ daturum se promissit pater filio alterius: Quæ admodum si frater conuenisset cum alio in hunc modum: Vendo tibi hanc, vel illam rem, ea lege, vt reddas spurio meo filio pretium. Vel sic: Commuto hanc, vel illam rem cum alia tua re, ea conditione, vt non mihi, sed filio meo spurio reddas; non valent huiusmodi pactioes: sic etiam cum duo conueniunt ita: Institue tu hæredem filium meum, & ego tuum filium spurium vicissim hæredem instituum.

Septimo quæritur, Quid dicendum cum à testatore bona alicui relinquuntur, vt ei in pauperes, aut pios vsus distribuatur, licebit ne illi ea bona in suum filium spurium, tanquam pauperem conferre? Duæ sunt opinioniones: Prima negat, eo quod pater erga filium magis paterno affectu, quam vera in Deum pietate moueatur: deinde, quia non videtur testatoris voluntati satisfacere, quia is, qui executor testamenti relictus est, nihil ex bonis testatoris, debet in suam rem conuerrere: alioqui enim fur esset, non bonorum distributor. Sic Ancharanus *consil.* 436. *Alexand. in l. si is, qui ff. de vulg. & pupil. subtit.* Altera sententia affirmat id posse facere executores testamenti, eo quod pater testamenti executor, non sua bona, sed bona sui testatoris filio spurio dat & dat, ea tanquam pauperi, & egeni. Sic Paul. Castrensis, quem citat, & sequitur Syluester *in verbo filii, quæst. 4. dicto 4.* Hæc sententia probabilior videtur: dummodo pater, qui relictus est testamento executor, id bona fide faciat, omni fraude in legem remota.

Octauo quæritur, An spurij filij rescripto, siue priuilegio Principis facti legitimi, possint in bonis succedere paternis: Respondeo ex communi sententia, posse succedere vna cum alijs legitimis, dummodo sint legitimis natalibus restituti auctoritate eius, qui ad id habeat facultatem. Immo si pater filium spurium hæredem instituat sub ea conditione, si auctoritate Principis reddatur legitimus, tunc secuta legitimorum natalium restitutione, patris hæreditatem tuta conscientia poterit obtinere: quoniam is, qui capax non est, iure potest institui ad tempus, quo capere poterit dictam hæreditatem. *In tempus, ff. de hæredis institut. & Glossa in l. si cur, in principio, ff. Quibus modis ususfructus amittatur, Bal. Aretinus, Alexander, Decius, & alij, quos citat & sequitur Couarruias in epitome par. 2. c. 8. §. 5. num. 12. Iulius Clar. §. Testamentum, q. 31.*

Quæres, an valeat institutio, qua pater filium spurium hæredem instituit sub conditione, si post testatoris obitum Princeps legitimum reddiderit? Respondeo cum communi sententia, quam referunt Couarruias, & Iulius Clarus *locis supra citatis*, valere: quia institutio refertur ad tempus, in quo erit capax hæreditatis spurius.

Sed obiecit aliquis id, quod habetur *in l. si alienum §. in extraneis, ff. de hæredis institut.* vbi dicitur: in conditionalibus institutionibus oportere hæredem capacem esse tempore testamenti, mortis, & aditionis ad hæreditatem. Respondet Couarruias id locum habere in conditione extrinseca, non intrinseca, hoc est, in ea, quæ iure ipso intelligitur, qualis est hæc: (Cum capere poteris hæres.) Sic Baldus, & Glossa *in l. in tempus, ff. de hæred. institut.* Item communis est sententia teste Couarruias *loco citato*, si ita spurius fuerit à patre hæres institutus sub conditione. (cum capere poterit hæreditatem) vim habere institutionem, & interim, donec legitimorum iura spurius consequatur, posse spurium hæreditati iacenti curatorem dari, ita vt ea bona administret, ex l. si quis instituitur hæres in diem, ff. de hæred. inst. & ibi Bald. & Angelus.

Nono quæritur, An lege municipali statui queat, vt spurius filius capax sit successiois, vel donationis pater-

na? Respondet Couarruias *loco prædicto, nu. 6.* non posse. Ita etiam senserunt Baldus, Aretinus, Socinus, Decius, & communis opinio, vt ait eo loco Couarruias, sic Federicus Senensis *consil.* 277. At Cardinalis Palæottus *lib. de nobilitate spurijque cap. 54.* à communi opinione recedens, censet, id lege municipali, siue statuto posse constitui. Baldus sensit, teste eodem Cardinali, spurios, si non sint ex damnato congressu, posse parentibus succedere. Ioannes, & Gaspar Calderinus, vt ait idem Cardinalis, docuerunt, si nemo ascendentium, aut descendentium superesset, spurij posse successioem competere. Sed non est quod à communi sententia recedamus: quamuis ea effiaci ratione non comprobetur. Contrarium enim si statueretur, non pugnaret cum iure naturali, aut diuino, sed solum cum iure communi.

CAP. XI.

Quibus modis possint patres aliquid filiis spuris relinquere.

DE hac re Cardinalis Palæot. *in lib. de nobilitate, & spuris cap. 45.* Primo quæritur, An aliqua ratione pater possit filio spurio aliquid ex suis bonis tuta conscientia relinquere? Respondeo ex communi sententia ciuilius iuris Interpretum, filium spurium posse aliquid à patre tuto consequi. in primis, si contrahat spurius omnium bonorum societatem cum patris filio legitimo & naturali, vel cum alio patris affini & coniuncto, & hæc deinde à patre hæres instituitur, poterit spurius dimidiam partem eius hæreditatis consequi. Bartol. *in l. Si is, qui ff. de liberat. legat. & Bal. in l. 1. C. Pro socio q. 15. Corsetus in singularibus, in verbo, Spurius*, Ratio huius est, quia in societate contracta omnium bonorum inter duos, cum omnia bona sint facta communia, dimidia pars ad socium pertinet. *l. Si societatem uniuersorum ff. pro socio.* Et ideo sic inde, vt si talis socius spurij institutus sit hæres, ad spurium pertineat dimidia pars hæreditatis relicta, eo quod iure societatis ipsi debeatur. Nec est quod suspicemur, patrem idcirco ea bona reliquisse socio spurio, vt ad spurium dimidia pars perueniret: quoniam verisimile est, & si ea societas constata inter eos non esset, patrem institutum hæredem eum, quem nunc instituit, cum sit ei maxime coniunctus.

Secundo quæritur, An si spurius religioni alicui nomen dederit, vel sacris Ordinibus fuerit iniunctus, possit à patre aliquid habere? Dec. *consil.* 576. concedit quidem Religiosum posse id habere, non tamen Clericum ad sacros ordines promotum: quia Clericus ex bonis Ecclesiæ potest commode sustentari. Sed id verius iudico, quod docet Marcellus *in singulari 273. versic. Limbo etiam*, tum Monachum religionem professum, tum Clericum ad sacros ordines promotum, posse à patre bona aliqua habere, quia olim spurius Curia oblatas, eo ipso naturalibus restituebatur. Bald. *l. 1. C. de Sacrosan. Eccles. nu. 25. Iason: Authen. Licet, C. de liberis præter. nu. 4. Ruicus consil. 89. in 3. volumine.* Ergo non est cur negemus spurium, qui sese religioni dedicat, vel sacris ordinibus obstringit, habilem factum esse ad consequendum bonorum aliquid à patre: sic Cardinalis Palæottus *lib. citato cap. 45. nu. 6.*

Tertio quæritur, An possit pater spurium hæredem instituere, ea tamen lege, vt hæreditatem alteri restituat? Imola *in l. Si quis solidum, ff. de hæred. institut.* negat id fieri posse à patre: quia spurius, inquit, nihil à patre habere potest, ergo nec ad hæreditatem in alium conferendam habilis est. Alij vero concedunt id fieri posse, & probant ex Glossa *in l. eam quam, C. de fideicommiss.* Nam spurius sic institutus hæres, non sibi, sed alteri hæreditatem capit.

Mihi tamen hæc secunda sententia, quam sequitur Cardinalis Palæottus *lib. prædicto, nu. 9. ca. 45.* magis probanda videtur: præsertim si spurius tali modo institutus, hæreditatem capiat loco alimentorum, vt se commode sustentet, donec alteri restituat hæreditatem: quoniam, vt capite proxime sequenti dicam, filio spurio iure Canonico

pater alimenta debet, quamvis ius civile spuris in vniuersum alimenta deneger.

Sed quid dicendum, quando fideicommissarius hereditatem repudiat, eo ipso ne ad spurium illa pertinebit? Cepoila in cautio 38. in 2. volum. censet, statim ad spurium pertinere quia tunc illam hereditatem non à patre accipit, sed à fideicommissario, qui eam reiecit: Aliis tamen hoc minime probatur, & merito, quia fideicommissio tacta semper subest conditio, si videlicet fideicommissarius voluerit, quod ei hereditas restitueretur: quod si repudiat, iam ille nihil de suo largiri videretur, sed tantum nihil acquisiuisse. Ex quo fit, ut hereditas potius à testatore proficiscatur: quare cum pater nihil spurio dare possit, non poterit spuris hoc modo hereditatem retinere. Sic Cardinalis Palæot. lib. citato, ca. 45. nu. 10.

Quarto queritur, An si filius spurius de patre suo fuerit optime meritis, possit pater hac occasione ei bona sua relinquere remunerandi beneficii, & mutui in illum officii gratia? Bald. in conf. 67. in 2. volum. Titiaq. in l. si unquam. C. de reuocan. donat. verb. donatione, nu. 21. existimant id posse fieri, dummodo tamen merita filij in patrem sint vere beneficia: & tunc patri non esset fides habenda, nisi talia merita & beneficia præcessisse probarentur; vt ait Ruin. conf. 124. in 1. vol.

Quinto queritur, An pater, si vendat spurio aliquid ex bonis suis, & precium accipiat, possit deinde eiusmodi precium eidem remittere, siue restituere? Quidam, teste Card. Palæot. de nob. & spur. filijs cap. 45. nu. 16. existimant eum posse, sed verius alij id negant: quia perinde est precium rei venditæ remittere, ac rem ipsam donare.

C A P. XII.

De alimentis, quæ filiis spuris parentes iure debent.

PRIMO queritur, An pater filio spurio dare alimenta, iure civili debeat? Respondeo, in Authen. Ex complexu, C. de incest. nupt. & Authen. Quibus modis naturales efficiantur sui. §. vlt. Et licet patri. C. de naturalibus liberis, ad finem, alimenta filiis spuris denegari. scriptum erat in lege duodecim Tabularum: E meretricis natæ patrem non alio: quod apud Athenienses Solonis lege cautum fuisse testatur Plutar. in vita Solonis: ergo filium spurium alere iure civili pater non cogitur, nec filius spurium patrem.

At quomodo, dicit quispiam, ius civile alimenta subtrahit, quæ filiis naturali iure debentur? Respondeo, alimenta esse duplicia: Aut enim sunt vitæ humanæ simpliciter necessaria, sine quibus nec duci vita non potest: Aut talia sunt, sine quibus aliunde quis sustentari commode potest, videlicet labore proprio, industria, arte, vel alia ratione. Primi generis alimenta nulla humana lege tolli queunt, quia simpliciter naturali iure debentur: Altera vero alimenta pietate quadam, & æquitate naturali debita sunt: iustis tamen de causis denegari queunt: & hæc alimenta leges mundanæ & civiles filiis spuris denegant in pœnam, & odium criminis paterni.

Secundo queritur, An iure Canonico pater filio spurio alimenta præbere cogatur? Respondeo cogi: id enim colligitur ex cap. Cum haberet, de eo, qui duxit in uxorem quam polluit per adulterium: vbi ad finem legitur: Sollicitudinis tamen tua intererit, ut uterque liberis suis, secundum quod eis suppetunt facultates, necessaria subministrat, & sermo ibi est de filiis spuris. Hanc sententiam ex illo capite tradunt Innocentius, & Panormit. cum Glossa, Bart. in l. si quis à liberis. §. 2. ff. de liberis agnoscent. Et l. vlt. ff. De iis, quibus, vt indignis. Communem vero hanc esse opinionem testantur Couarruuias in epitome 2. par. ca. 8. §. 6. nu. 7. Et 8. Pontanus tractat. de alimentis cap. 1. nu. 11. Et 12. Anton. Gomes in l. 9. Taurina, nu. 37. Quamvis Baldus in Authen. ex complexu. C. de incest. nupt. scripserit, ius Pontificium non omnibus spuris alimenta decreuisse, sed ijs tantum, qui nati non sunt ex damnato congressu.

Tertio queritur, An in Iudicio seculari decerni debeant alimenta secundum ius Canonicum filiis spuris? Respondeo, ius Canonicum potius, quam ius civile esse hac in parte seruandum. Et teste Couarruuias, ita est vsu receptum, imò & statuta ciuitatum, & populorum, & leges Principum id fieri iubent. Imola vero in leg. Lucius. §. 1. de Lega. 1. Alexander in conf. 74. in 3. volum. Iason. in Auth. Res que C. commu. delegat. Feiin. in c. Ecclesia de conf. nu. 43. dicunt ius Pontificium solum habere locum in terris Ecclesiæ. Sed verior est prima sententia, quam teste Cardinali Palæotto tract. de nobis & spuris cap. 47. nu. 1. sequuntur Panormitanus, Angelus, Socinus, Ripa, Decius, quos ibi produci.

Quarto queritur, An Presbyter tuta conscientia, alimenta præstare debeat filio spurio? Hanc questionem supra suo loco in hoc libro tractauimus, ca. 4. q. 7. vbi dixi, duas esse à Pio Quinto editas constitutiones, in quibus videtur omnino decernere, & prohibere, ne patres hæc filiis alimenta præbeant. Sed Nauar. in Tract. de spol. Clerico. §. vltimo num. 9. Et seqq. cenet, ius esse patribus id faciendi: quia Constitutiones Pij V. ius commune non abrogent. Idem etiam habet decisio in Prætorio Rotæ 505. par. 1. in nouis. Et hæc sententia citra periculum teneri potest. Ita vt liberum sit patri non solum ex bonis patrimonialibus & profanis, sed etiam ex redditibus Ecclesiastici beneficii filio spurio alimenta relinquere.

Quinto queritur, An liceat patri filie spurie dotem largiri? Respondeo ex communi sententia, quam habet Cardinalis Palæot. tract. de nob. & spur. filijs cap. 49. Iure quidem ciuili filie spurie dotem denegari, quia dos loco alimentorum est, sed ius civile spurios ab alimentis repellit, verum iure Canonico dos filie spurie debetur, sic Abbas conf. 50. Et 115. in 2. Socinus in l. 1. ff. solut. matrim. Ripa in eadem lege, n. 66. Boer. decis. 127. nu. 11.

Quæres, an etiam Clericus ex sui beneficii fructibus dotem filie spurie præstare tuta conscientia queat? Respondeo cum communi sententia, quam habet Nauarrus tract. de spol. Clerici §. vlt. n. 9. Et seqq. liberum esse patri id facere, & quod teste eodem Nauarro, locum habet etiam post Constitutiones à Pio V. editas, de quibus supra in hoc lib. c. 4. q. 7. quoniam prædictæ Constitutiones iuri communi non derogant.

Sexto queritur, An auus, & cæteri ascendentes ex parte patris, debeant spuris nepotes alere, cum patres delint? Respondeo cum Couarruuias, & Antonio Gomes locis supra citatis, iure Canonico, non ciuili debere, & Canonico iuri esse in hac parte standum.

Septimo queritur, An filij spurij debeant patres, & alios ascendentes alere? Respondeo cum communi sententia, iure Canonico, non ciuili debere: nam mutua est obligatio alimentorum, ita vt patres filijs, & vicissim filij patribus alimenta iure gentium, & naturali præstare cogantur: quamvis arctiori vinculo parentes in hac parte teneantur. Patre defuncto hæredes, pari necessitate erga spurios obligati sunt. Bartolus in l. si quis. §. Item rescriptum ff. de liber. agnoscent. Ruinus consil. 124. n. 12. in primo volum.

Octauo queritur, Quænam alimentorum nomine contineantur? Respondeo cibaria, vestitum, & habitacionem. l. legatis. ff. de alimen. Et cib. legat. Item ea omnia, quibus tuendi & curandi corporis nostri gratia vimur. l. verbo vitus. ff. de verb. significo. Et res, quæ ad disciplinas, & honestas artes addiscendas pertinent, leg. Qui filium. ff. vbi pupill. educari debent. Item generatim omnia liberorum onera; vt si filius habeat uxorem, & filios, pater familiam eius sustentare iure compellitur. Glossa in cap. Admonere 33. quasi. vndecima. verb. patrem. Bart. l. si quis.

§. non tantum ff. de liberis agnoscent.

✠()✠